

(D6.15 7 AUG 1509)

COPY (FROM BM VERSION)

[*Bibl. Harl.*, 7039, ff. 54—58.]

Licentia Regia pro Fundatione Collegii SANCTI
JOHANNIS EVANGELISTÆ.

Henricus Dei gratia Rex Angliæ et Franciæ et Dominus Hiberniæ, Omnibus ad quos præsentis Literæ pervenerint, Salutem: Sciatis quod Nos tam informatione Margaretæ Comitissæ Richmond. et Derbiæ, aviæ nostræ præcarissimæ nuper defunctæ, necnon aliorum fidedignorum, quam ex publica fama accepimus, quod Domus sive Prioratus Fratrum religiosorum Sancti Johannis Evangelistæ in Cantabrigia, de fundatione et patronatu Reverendissimi in Christo Patris Jacobi Eliensis Episcopi, ut in jure ecclesiæ suæ Eliensis; ac terræ, tenementa, redditus, possessiones, ædificia, necnon res, bona, jocalia, et alia ornamenta ecclesiæ, eidem Domui sive Prioratui pie et caritative antiquitus data et collata, et per negligentiam, prodigalitatem atque improvidam et dissolutam dispositionem Prioris et Magistrorum Domus sive Prioratus prædicti et confratrum suorum in tantum dilapidata, destructa, devastata, alienata, diminuta et subtracta existunt, ipsique ad tantam inopiam et paupertatem sunt redacti, quod Divina obsequia, hospitalitatem aut alia misericordiæ et pietatis opera ibidem juxta primævam fundationem et ordinationem Fundatorum suorum usitatam manutenere et supportare, seu se ipsos propter inopiam et defectum sustentationis inibi deservire nequeunt; Eo quod nisi duo tantum in numero in Domo sive Prioratu prædicto a diu extiterunt, qui extra eundem locum religiosum undique vagantur in gravem Omnipotentis Dei offensam, Ordinis et religionis illius dispendium, et Ecclesiæ scandalum; Ita quod Domum sive Prioratum prædictum quasi desolatum relinquere oporteat. Unde præfata Comitissa, aviæ nostræ præcarissima, ad majorem devotionem, quam ad Divini cultus, virtutis et scientiæ augmentum, ac Fidei Christianæ defensionem in vita sua gerebat, Nobis humillime

supplicavit, ut Nos eidem aviæ nostræ aut executoribus sive assignatis suis, quatenus ipsa vel executores sive assignati sui, concurrentibus iis quæ de jure in ea parte requiruntur, Domum sive Prioratum prædictum cum omnibus maneriis, terris, tenementis, redditibus, servitiis, hæreditatibus et possessionibus tam spiritualibus quam temporalibus eidem Domui sive Prioratui pertinentibus in Collegium Scholarium in Universitate Cantabrigiæ, perpetuis temporibus duraturis, ibidem studentium et Deo famulantium juxta ordinationem et stabilimentum prædictæ aviæ nostræ, executorum seu assignatorum suorum convertere et stabilire, ac converti et stabiliri; necnon ut omnia maneria, terras, tenementa, redditus, possessiones et hæreditates, res, bona, jocalia et alia ornamenta Domus sive Prioratus illius, eidem Collegio, cum sic fundatum et stabilitum fuerit, concedere, annectere, stabilire et unire, atque concedi, annecti, stabiliri et uniri procurare valeat, licentiam dare et concedere dignemur.

Nos igitur piæ petitioni prædictæ aviæ nostræ præcarissimæ inclinati, ac præmissam et piam devotionem ipsius aviæ nostræ intime considerantes, Richardo Winton. Episcopo, Johanni Roffen. Episcopo, Carolo Somerset Domino de Herberd, Militi, Thomæ Lovell, Henrico Marney, Johanni St. John Militibus, Henrico Hornby et Hugoni Ashton Clericis, executoribus testamenti ejusdem aviæ nostræ, de gratia nostra speciali ac ex certa scientia et mero motu nostris concessimus et licentiam dedimus, ac licentiam damus et concedimus, pro Nobis, hæredibus et successoribus nostris, quantum in Nobis est, per præsentem, quod iidem executores aviæ nostræ prædictæ, vel assignati sui, aut eorum aliquis vel aliqui, dictam Domum sive Prioratum, ac omnia terras, tenementa, redditus, reversiones, servitia, pensiones, portiones, et alia possessiones et hæreditamenta quæcunque ejusdem Domus sive Prioratus, sive eidem Domui sive Prioratui pertinentia, sive antiquitus data, collata vel annexa, aut inde parcelas, licet dicta Domus sive Prioratus de fundatione nostra aut alicujus progenitorum vel prædecessorum nostrorum sive de aliquo alio extiterit, aut Domus sive Prioratus ille, sive prædicta maneria, terræ,

tenementæ, redditus, servitia et cætera præmissa, sive aliqua eorundem parcella de Nobis vel de aliquo progenitorum vel prædecessorum nostrorum sive de aliquo alio teneantur, tam de Priore et confratribus aut Priore et confratre, vel de fratribus Domus sive Prioratus prædicti et successoribus suis, quam de prædicto Episcopo Eliensi et successoribus suis ac quibuscunque aliis personis, perquirere, habere, tenere et gaudere poterit vel poterint; habendum, tenendum et gaudendum et possidendum eisdem executoribus prædictæ aviæ nostræ, hæredibus et assignatis suis in perpetuum.

Et quod iidem executores præfatæ aviæ nostræ vel assignati sui aut eorum aliquis vel aliqui eandem Domum sive Prioratum in honore Dei omnipotentis, Beatæ Mariæ, et Sancti Johannis Evangelistæ, in unum Collegium unius Magistri ac Sociorum et Scholarium, ad numerum quinquaginta personarum vel circa in scientiis liberalibus, jure civili et canonico, ac Sacra Theologia studentium et oratorum, ac Divina obsequia singulis diebus infra Collegium prædictum pro anima præfatæ aviæ nostræ et pro anima Illustrissimi Principis Henrici nuper Regis Angliæ Septimi patris nostri ac pro anima Edmundi nuper Comitum Richmond. avi nostri, necnon pro animabus Fundatorum Domus sive Prioratus antedicti, et omnium Fidelium defunctorum in perpetuum celebratorum, ac alia misericordiæ et pietatis opera ibidem juxta ordinationes et stabilimenta prædictorum executorum aviæ nostræ præcarissimæ prædictæ vel assignatorum suorum, in hac parte fienda, ordinanda et statuenda, convertere et stabilire, ac converti et stabiliri, ac unum hujusmodi Collegium de eadem Domo sive Prioratu, et possessionibus ejusdem tam spiritualibus quam temporalibus, cum suis juribus et pertinentiis vel de aliqua parcella eorundem, erigere, facere, procreare et stabilire, ac fieri, erigi, creari, et stabiliri [et] procreari possint, perpetuis temporibus duraturis.

Et quod Collegium prædictum, cum sic factum, erectum, creatum et stabilitum fuerit, Collegium Sancti Johannis Evangelistæ in Universitate Cantabrigiæ, per Richardum Winton. Episcopum, Johannem Roffen. Episcopum, &c, executores testamenti Margarete Comitissæ Richmond. et

Derbiae, matris Regis Henrici Septimi fundatum nuncupetur, vocetur et appelletur in perpetuum. Quodque Magister, Socii et Scholares Collegii prædicti et successores sui cum Collegium illud sic factum, erectum, creatum, fundatum et stabilitum fuerit, Magistri, Socii et Scholares Collegii Sancti Johannis Evangelistæ in Universitate Cantabrigiæ, per Richardum Winton. Episcopum, Johannem Roffen. Episcopum, &c, executores testamenti Margaretæ Comitissæ Richmond. et Derbiae, matris Regis Henrici Septimi fundatum nuncupentur, vocentur et appellentur; Et per nomen Magistri, Sociorum et Scholarium Collegii Sancti Johannis Evangelistæ in Universitate Cantabrigiæ, per Richardum Winton. Episcopum, Johannem Roffen. Episcopum, &c, executores testamenti Margaretæ Comitissæ Richmond. et Derbiae, matris Regis Henrici Septimi fundatum placitare possint et implacitari, ac respondere et responderi, atque prosequi, et defendere et defendi in quibuscunque Curiis et locis, ac coram quibuscunque Justiciariis et Judicibus spiritualibus sive temporalibus; Et quod sint unum Corpus Incorporatum in re et nomine, habeantque successionem perpetuam, ac commune Sigillum, pro negotiis Collegii prædicti agendis et expediendis; Et quod sint personæ habiles et capaces in Lege ad perquirendum et recipiendum terras, tenementa, redditus, reversiones, pensiones, annuitates, libertates, franchises, visum franciplegii, et hæreditamenta quæcunque, et alias possessiones quascunque a persona quacunque sive quibuscunque personis, ea eis dare, legare, concedere vel assignare volenti seu volentibus, habendum et tenendum eis et successoribus suis in perpetuum.

Et ulterius Nos de gratia nostra uberiori ac ex certa scientia et mero motu nostris concessimus et licentiam dedimus ac per præsentem licentiam damus et concedimus præfatis executoribus aviæ nostræ prædictæ, assignatis suis, et eorum cuilibet ac præfato Episcopo et successoribus suis, et similiter præfato Priori et Fratibus Domus sive Prioratus prædicti, ac quicunque aliæ personæ ac quibuscunque aliis personis conjunctim et divisim, quod iidem executores præfatae aviæ nostræ vel assignati sui sive eorum aliquis vel aliqui et similiter, quod præfatus Episcopus aut successores sui

aut eorum aliquis vel aliqui, et etiam præfatus Prior et confratres vel successores sui, ac quæcunque alia persona ac quæcunque aliæ personæ, cum dictum Collegium, sic ut præfertur, factum, erectum, creatum et stabilitum fuerit, dictam Domum sive Prioratum ac omnia maneria, terras, tenementa, redditus, reversiones et servitia, pensiones, portiones et alias possessiones et hæreditamenta quæcunque ejusdem Domus sive Prioratus, sive parcelas Domus sive Prioratus illius, eidem Domui sive Prioratui quocunque modo pertinentia, sive antiquitus concessa, data, collata vel annexa, tam spiritualia quam temporalia, cum suis juribus, libertatibus, et pertinentiis universis, præfato Collegio ac Magistro ac Sociis et Scholaribus Collegii illius, cum Collegium illud, sic ut præfertur, erectum, creatum, factum et stabilitum fuerit, dare, concedere, annectere, unire et consolidare possint, una vice vel diversis vicibus, licet eadem maneria, terræ, tenementa, redditus, reversiones et servitia, possessiones et hæreditamenta et cætera præmissa, vel aliqua eorundem parcella de Nobis sive aliquo alio teneantur vel teneatur; habendum, tenendum et gaudendum eidem Magistro, Sociis et Scholaribus et successoribus suis, in liberam, puram et perpetuam elemosynam in perpetuum. Et eidem Magistro, Sociis et Scholaribus et successoribus suis, quod iidem Magistri, Socii et Scholares et successores sui, cum prædictum Collegium, sic ut præfertur, factum, erectum et stabilitum fuerit, dictam Domum sive Prioratum, ac omnia maneria, terras, redditus, reversiones et servitia, pensiones, portiones et alias possessiones et hæreditamenta quæcunque ejusdem Domus sive Prioratus, sive parcelas Domus sive Prioratus illius, vel eidem Domui sive Prioratui pertinentia, sive antiquitus data, concessa, collata vel annexa, et quamlibet inde parcellam, de præfatis executoribus ejusdem aviæ nostræ vel assignatis suis sive eorum aliquo vel aliquibus et de præfato Episcopo vel successoribus suis aut de quacunque alia persona et quibuscunque aliis personis, ea vel aliquam eorundem parcellam volenti vel volentibus eis dare vel concedere, perquirere et recipere, ac ea omnia et singula eis et successoribus suis annectere, unire et consolidare

possint, licentiam dedimus et concessimus, et licentiam damus et concedimus per præsentem; habendum, tenendum, gaudendum et possidendum eisdem Magistro, Sociis et Scholaribus et successoribus suis in puram et perpetuam eleemosynam in perpetuum, absque impedimento, impetitione, gravamine seu molestatione quacunque nostri vel hæredum nostrorum, Justiciariorum, Escaetorum, Vicecomitum, Coronatorum, Ballivorum seu aliorum officiariorum nostrorum vel hæredum nostrorum quoruncunque; Statuto de Terris et Tenementis ad manum mortuam non ponendis, aut de provisoribus, sive aliquo alio Statuto, actu, ordinatione, provisione sive restrictione in contrarium inde facto, edito sive ordinato non obstante; et absque aliqua inquisitione sive aliquibus inquisitionibus, prætextu alicujus Brevis nostri sive aliquorum Brevium nostrorum, hæredum et successorum nostrorum, De Ad Quod Damnum, seu alicujus commissionis, mandati seu præcepti nostri, hæredum vel successorum nostrorum in hac parte qualitercunque fiendi vel capiendi, aut in Cancellariam nostram, hæredum vel successorum nostrorum seu alibi retornandi; Et absque aliquibus Literis nostris patentibus, Brevibus aut Mandatis nostris, hæredum vel successorum nostrorum, de, in sive pro præmissis, aut de vel pro aliquo quovis modo fiendis; aliquibus Statutis, actibus, ordinationibus, provisionibus seu restrictionibus, ante hæc tempora factis sive editis, non obstantibus.

Sciatis insuper, quod Nos de gratia nostra, scientia et motu nostris prædictis licentiam dedimus et concessimus et licentiam damus et concedimus pro Nobis, hæredibus et successoribus nostris, quantum in Nobis est, præfatis Magistro, Sociis et Scholaribus et successoribus suis per præsentem, quod ipsi, postquam Collegium prædictum, ut præfertur, factum, erectum, creatum et stabilitum fuerit, dictam Domum sive Prioratum, ac omnia et singula maneria, terras, tenementa, redditus, reversiones et servitia, pensiones, portiones et alias possessiones et hæreditamenta quæcunque ejusdem Domus sive Prioratus illius parcell., aut etiam eidem Domui sive Prioratui pertinentia, aut antiquitus data, collata et annexa, tam spiritualia quam temporalia,

cum suis juribus, libertatibus et pertinentiis universis, eis et successoribus suis, auctoritate Apostolica incorporari, appropriari, annecti, et uniri facere et procurare valeant; ac Domum sive Prioratum prædictum, necnon omnia et singula maneria, terras, tenementa et cætera præmissa cum suis pertinentiis, eis et successoribus suis sic incorporata, appropriata, annexa, unita habere, tenere et gaudere possint, eis et successoribus suis, in proprios usus in perpetuum: dicto Statuto de Terris et Tenementis ad manum mortuam non ponendis, sive aliquo Statuto de provisoribus, aut aliquo alio Statuto, actu, ordinatione, provisione sive restrictione in contrarium, inde facto, edito sive ordinato, aut aliqua alia re, causa vel materia quacunque in aliquo non obstante.

Et etiam Nos de ampliori et abundantiori gratia nostra licentiam dedimus et concessimus, ac licentiam damus et concedimus per præsentem, pro Nobis, hæredibus et successoribus nostrum, quantum in Nobis est, præfatis executoribus aviæ nostræ prædictæ et assignatis suis ac cuicumque aliæ personæ et quibuscunque aliis personis, quod iidem executores præfata aviæ nostræ vel assignati sui aut eorum aliquis vel aliqui alia terras, tenementa, redditus et servitia ad annum valorem quinquaginta librarum, ultra omnia onera et reprisas, et ultra prædictam Domum sive Prioratum, et ultra prædicta maneria, terras, tenementa, redditus, reversiones, servitia, possessiones et hæreditamenta et cætera præmissa ejusdem Domus sive Prioratus, vel parcellas Domus sive Prioratus illius, vel eidem Domui sive Prioratui pertinentia, sive antiquitus concessa, data vel collata præfato Magistro, Sociis et Scholaribus Collegii prædicti et successoribus suis, cum Collegium, sic ut præmittitur, factum, erectum, creatum et stabilitum fuerit, dare et concedere possint, habendum et tenendum eisdem Magistro, Sociis et Scholaribus et successoribus suis in puram et perpetuam eleemosynam in perpetuum. Et eisdem Magistro, Sociis et Scholaribus, quod ipsi vel successores sui terras, tenementa, redditus, reversiones et servitia, ad dictum annum valorem 50 librarum, ultra omnia onera et reprisas, et ultra prædictam Domum sive Prioratum, et ultra prædicta maneria, terras,

tenementa, redditus, reversiones et servitia, possessiones et hæreditamenta et cetera præmissa, ejusdem Domus sive Prioratus illius, vel eidem Domui sive Prioratui pertinentia, sive antiquitus data, concessa vel collata, de præfatis executoribus aviæ nostræ prædictæ vel assignatis suis, de aliquo alio sive de alia aliqua persona vel aliquibus aliis personis, ea eis dare vel concedere volenti vel volentibus, perquirere, recipere et habere possint, habendum, tenendum, possidendum et gaudendum eisdem Magistro, Sociis et Scholaribus et successoribus suis in puram, et perpetuam eleemosynam in perpetuum, absque impedimento, impetitione, gravamine seu molestatione quacunque nostri aut hæredum nostrorum, Justiciariorum, Escaetorum, Vicecomitum, Coronatorum, Ballivorum seu aliorum officiariorum nostrorum vel hæredum nostrorum quorumcunque; Statuto de Terris et Tenementis ad manum mortuam non ponendis, aut aliquo alio Statuto, actu, ordinatione, provisione seu dispositione in contrarium inde factis, editis sive ordinatis, non obstantibus, et absque aliqua inquisitione sive aliquibus inquisitionibus, prætextu alicujus Brevis nostri, seu aliquorum Brevium nostrorum, hæredum vel successorum nostrorum, de Ad Quod Damnum, sive alicujus commissionis, mandati seu præcepti nostri, hæredum vel successorum nostrorum, in hac parte qualitercunque fiendi vel capiendi aut in Cancellariam nostram, hæredum vel successorum nostrorum seu alibi retornandi; Et absque aliquibus Literis nostris patentibus, Brevibus aut Mandatis nostris, hæredum vel successorum nostrorum, de, in sive pro præmissis, aut de vel pro aliquo præmissorum quovis modo fiendis, aliquibus statutis, actibus, ordinationibus seu restrictionibus, ante hæc tempora factis sive editis, non obstantibus; Eo quod expressa mentio de vero valore annuo aut de aliquo valore seu certitudine præmissorum vel eorum alicujus, aut de aliquibus aliis donis vel concessionibus per progenitores vel prædecessores nostros præfate aviæ nostræ præcarissimæ ante hæc tempora facta, in præsentibus minime facta existit, aut aliquo Statuto, actu, ordinatione, provisione seu restrictione, in contrarium inde factis, editis sive ordinatis, aut aliqua alia materia, re vel causa quacunque, in aliquo non obstante.

Et volumus et concedimus per præsentem, quod omnia et singula præmissa fiant absque aliquo fine vel feodo sive aliquo alio inde Nobis vel hæredibus nostris in Hanaperio Cancellariæ nostræ vel alibi reddendo vel solvendo.

In cujus rei testimonium has Literas nostras fieri fecimus patentes. Teste me ipso apud Otford, septimo die Augusti, anno regni nostri primo.

(KYRKHAM)

Irrotulatum et Registratum.

Ex Registro sive Chartulario veteri, ex parte collato cum originali Instrumento, quod sæpius vidi, et partim transcripsi.